

# I. N. I.



Ugetur oppositionibus eruditis scientia haud  
aliter ac allisionibus crebris ferrum expolitur.  
Inde qvæ a sapientibus, ceu indagatoribus ve-  
ri, hac enim illi prærogativa secundum *Cicero-*  
*nem* cæteros mortales superant, in medium  
proponuntur ut receptæ adversantia sententiaz, non proti-  
nus aut exsibilanda sunt, aut cum stomacho examinanda;  
Et tanto magis ad placidæ cynosuram charitatis dirigendus  
sermo est, qvanto aut obscurior est ratio veritatis, aut a pe-  
riculo lædendæ pietatis opinio adversa esse remotior vide-  
tur; Ita contemnenda qvæsi, ut *Licentius* loquitur apud *Au-*  
*gustinum*, *victoria* est, dum in comparatione recti verique lib. I. cor-  
tra Acad.  
inveniendi profeſtus instituimus. Tales mihi animum  
versant cogitationes pauca qvædam de *sanguine Christiano-*  
*rum escario* commentanti, qvem cum clarissimi eruditorum  
Nonnulli nec medice nec theologice escarium velint habe-  
re, utpote & valetudini adversum & christianorum mori-  
bus indignum, inde oppositionibus eruditis altius demergi-  
tur cura investigandæ veritatis, eo alienor ab admorsu in-  
clytorum nominum, quo illustriori vi radios suos vibratu-  
ram veritatem, discussa objectæ nube sententiaz, animad-  
vertit. Et qvid a pietate remotum est æqve ac laceratio fa-  
mæ commendatissimorum & de Republica optime merito-  
rum? quid contra magis conforme pietati, qvam de re con-  
troversa placide citra injuriam opponentium edifferere?  
Rei qvam molior occasio suppeditata mihi fuit e lectione  
disquisitionis medicæ celeberrimi Medicorum *Bartholini*,  
qvem haud immerito pro fausto sydere & eruditorum orbis  
& medicorum cœlum vel post pia fata veneratur, cui nec

B 2

clarisfi-